Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26214
Copyright: Admont, Benediktinerstift



destituat adiungit. Sequitur: Necessarii quoque mei recesserunt
a me. Sed ecce despectus ceteris intus solio iudicii praesidet. Nam
cum derelictum se asserit, protinus ad sententias erumpit dicens.
Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem domini derelinquit. Quis
hoc loco nomine nisi quilibet proximus designatur, qui eo fidelius
nobis iungitur, quo percepto nunc a nobis boni operis exemplo ad
optinenda post eterna patria veraciter auxiliatur? Quia autem
duo sunt praecepta caritatis, dei videlicet amor et proximi, per amorem
dei amor proximi gignitur, et per amorem proximi dei amor nutritur.
Nam qui amare deum negligit, profecto diligere proximum nescit. Et tunc
plenius in dei dilectione proficimus, si in eiusdem dilectionis gremio prius
proximi caritate lactamur. Quia enim amor dei amorem proximi generat,
dicturus per legem dominus: Diliges proximum tuum, praemisit dicens: Diliges
dominum deum tuum, ut scilicet intra pectoris nostri prius amoris sui
radicem figeret, quatinus per ramos postmodum dilectio fraterna ger-
minaret. Et rursum quia amor dei ex proximi amore coalescit,
testatur Iohannes dicens: Qui non diligit fratrem suum quem videt, deum
quem non videt quomodo potest diligere? Quae tamen divina dilectio
per timorem nascitur, sed in affectum crescendo permutatur. Saepe vero omnipotens
deus ut quantum quisque a caritate dei ac proximi longe sit vel in ea
quantum proficeret innotescat, miro ordine cuncta dispensans ali-
os flagellis deprimit, alios successibus fulcit, et cum quosdam tempora
ut deserit, in quorundam cordibus quod malum latet ostendit. Nam
plerumque ipsi nos miseros insequuntur qui felices sine comparatione
coluerunt. Cum enim quis positus in prosperitate diligitur, incertum
valde est utrum prosperitas an persona diligatur. Amissio autem felicita-
tis interrogat vim dilectionis. Unde quidam sapiens dicit: Non ag-
noscetur in bonis amicus, et non abscondetur in malis inimicus. Hec